DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
CHOLERA MORBO,

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

D. JO. NIC. SEB. ALLAMAND,

A. L. M. AC PHIL. DOCT. PHILOSOPHIÆ ET MATHESEOS IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*,

& Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

HENRICUS KORP,

SUECUS.

Ad diem 24. *Novembris* 1759. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud PETRUM VAN DER EYK, 1759.

4—

14.

V I R O

E R U D I T I S S I M O

D. JOANNI GRASHUIS,

MEDICINAE DOCTORI CELEBRI. ACADEMIAE IMPERIALIS NATURAE CURIOSORUM REGIAEQUE CHIRURGORUM PARISINAE, UT ET COLLEGII ERUDITORUM HARLEMENSIS SOCIO,

PRAECEPTORI DIGNISSIMO, FAUTORI EXIMIO, AMICO CHARISSIMO,

Hanc Diſſertationem
ſacram volo,

HENRICUS KORP,

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

CHOLERA MORBO.

§. I.

ΧΟΛΕΡΑ, nomen Morbi, non omnibus ab eodem derivatur themate. Plurimi hanc denominationem deducunt ἀπὸ τῆς χολῆς, & a Græcis impoſitam eſſe, dicunt, a Bile, ut cauſa, & quæ in hac affectione copioſe effunditur. Aurelianus ideo *Choleram* interpretatur per *Fellifluam Paſſionem.* Aliis alia hujus nominis derivatio magis placet, & putant hi *Choleram Morbum* ſic eſſe dictum ἀπὸ τῶν χολάδων, id eſt *ab Inteſtinis*, per quæ materia ex ventre excernitur.

§. II.

Cholera morbus generaliter definiri poteſt, quod ſit præternaturalis affectio, quâ quidquid Ventriculo & Inteſtinis continetur, aut ex viciuis Viſceribus illuc congeritur, ſurſum per os & deorſum per anum, violenter ejicitur.

§. III.

Hujus Morbi duæ præcipuæ dantur Species. *Humida*, in quâ liquida ejicitur materies: *Sicca*, in quâ, quod excernitur, flatulentum eſt.

§. IV.

Prior, ſive *Humida*, iterum quibusdam dividitur vel diſtinguitur in *Veram* & *Spuriam*; & eſt *Vera*, in quâ Bilioſa materies, ſi non ſola, ſaltem primario, peccat, tumultuoſam in primis viis excitat agitationem, & per vomitum ſurſum, & diarrhœam deorſum excernitur: *Spuria*, in quâ quævis alia materies liquida vel ſaburra, potius quam bilis, turbas creat & eliminatur.

Idiopathicam, *Sympathicam*, *Symptomaticam*, *Criticam*, vel quomodo aliter cognominatam *Choleram*, quod attinet, quæ ſubdiviſiones *Humidæ* ſunt, in illis ſingulis definiendis hic non morabor, quia ex ſequentibus facile intelligentur.

§. V.

Primum locum, in pertractatione noſtrâ, dabimus *Choleræ Humidæ*, ſecundum & ultimum *Siccæ* vel *Aridæ*.

§. VI. Per

§. VI.

Per *Humidam Choleram* intelligo Morbum Stomachi atque Inteſtinorum communem, ex Vomitu ac Diarrhœâ, quæ ſimul affligunt, compoſitum, quo vehemens & copioſa materiæ liquidæ, alimentoſæ, bilioſæ, aliusve indolis, rejectio, per os pariter atque anum, fit.

§. VII.

Choleram, quamvis hæc ſæpiſſime præceps & uno impetu invadit, ſæpe antecedunt & brevi futuram annunciant ventriculi ac inteſtinorum morſus & dolores, inflatio & diſtentio, ructus acidi, nidoroſi, borborygmi & flatuum eruptiones ſine levamine, motus ſeu fluctuatio circa umbilicum, cardialgia, præcordiorum anxietates, jactatio, vigiliæ.

Hisce ſymptomatibus, paulo poſt, uno impetu & tempore, accedunt vomitus enormes ac dejectiones per alvum materiæ diverſæ naturæ, alimentoſæ, ſeroſæ, pituitoſæ, bilioſæ mox flavæ, mox viridis, mox atræ, plerumque acerrimæ ac fere corroſivæ, tetrique ſæpe odoris, incredibili ſæpe quantitate, ingeſtorum copiam multum ſuperante, & cum maximâ difficultate & anguſtiâ, copioſis ructibus & flatibus; urgent ventris & inteſtinorum dolores acutiſſimi, torſiones, roſiones, inflationes; borborygmi ſentiuntur, maxime ſupra umbilicum; affligit cardialgia vehementiſſima; ardor accedit ſitisque ſæpe inſatiabilis; adeſt anorexia; fit ſubitanea aſſumtorum rejectio; pulſus fit celer ac frequens, ſæpe etiam parvus & inæqualis; ſpiritus celerrime trahitur; nauſea vexat moleſtiſſima; incredibilis adeſt anxietas; cor palpitare incipit; ſingultus advenit; crura & brachia contrahuntur, vel & aliquando totum corpus convellitur; animi fit deliquium;

quium ; extrema refrigeſcunt ; urinæ fluxus cohibetur ; corpus gelidis perfunditur ſudoribus ; digiti albeſcunt ; ungues livent ; totum corpus rigore concutitur ; vox fit impedita ; oculi caliginoſi & cavi ; demum inanes fiunt conatus vomendi & dejiciendi ; tandemque, poſt ſummam incredibilemque virium proſtrationem, ſæpe intra paucarum horarum ſpatium, ſequitur miſeranda mors.

§. VIII.

Dum, ut ex prægreſſis, §. II. ad VII. liquet, in *Cholerâ* Vomitus & Diarrhœa ſimul ac pariter affligunt, & ex his conjunctis, facto conſortio, noſter conſtituitur Morbus, evidens eſt, hujus Cauſam Proximam eſſe quærendam in ac compoſitam ex Vomitus Diarrhœæque cauſis combinatis & ſimul, eodem tempore, cooperantibus. Eſt, itaque, *Choleræ Morbi* Proxima Cauſa convulſio violenta Ventriculi & Inteſtinorum una cum Diaphragmatis ac Muſculorum Abdominalium. Horum motus ſpasmodici conſpirantes ſupra memoratos tumultus proxime producunt, totam primæ coctionis officinam perturbando atque æquabilem tenorem functionum cunctarum, ad illam pertinentium, lædendo, invertendo.

§. IX.

Cauſas remotas & antecedentes quod attinet ; hæ multiplices diverſiſſimæque eſſe poſſunt : tot nempe, quot ſunt irritamenta, quæ motus convulſivos, inordinatos in ventriculo, inteſtinis, diaphragmate ac muſculis abdominalibus pariter ciere, & ſic vomitum & diarrhœam ſimul excitare poſſunt : & hæc, propter eximiam ventriculi præprimis inteſtinorumque mobilitatem, irritabilitatem, ac extenſum cum corpore univerſo conſenſum, fere innumera ſunt.

Ha-

Harum cauſarum vero aliæ ventriculum & inteſtina propius, ut in his ipſis reſidentes, aliæ aliunde, ut magis diſſitæ, per conſenſionem ac communionem, afficiunt: & hinc *Idiopathica* vel *Sympathica* generatur *Cholera.*

Ad cauſas ergo hunc morbum excitantes ſunt referenda cibi & potus copiâ, pondere, tenacitate, inſuetudine, acrimoniâ, flatulentiâ, fermentatione, pinguetudine, corruptione, putrefactione, refrigeratione, ventriculum & inteſtina gravantes, fibras horum laceſſentes, ſtimulantes: cacochylia acida, alcalina, putrida, rancida bilioſa, ſaburra verminoſa, prægreſſorum uſu, diætæ erroribus, viſcerum labe, coctione depravatâ, ſpontaneâ aſſumptorum corruptione, putrore in primis viis hærente, nata, & motus actionesque coctrices turbans, pervertens. Huc, ut qualitate vel quantitate nimiâ nocentia, aut cacochyliæ diverſæ producendæ faventia, pertinent indigeſtibilia ac dyspepta, ut ſunt extremæ animalium partes tenaces; pinguia, ut butyrum, olea, axungia, lardum crudum vel coctum, caro nimis pinguis; acria aromatica multivaria; in loco calido & humido citiſſime fermenteſcentia, ſubito corrumpentia, ut horæi fructus, ceraſa, fraga, pruna, mala perſica; ulterius fungi, allia, porri, lactuca, braſſica, melones, pepones, cucumeres, qui ultimi & ſimul multum refrigerant; porro muſtum, vinum fermentans, vel & vetus & dulce, nimiâ copiâ ingurgitatum, cereviſia recens minusve defæcata, vel in actu fermentationis ſuffocata, mellita, dulciaria, panificia cum multo butyro frixa, potus immoderatus aquæ gelidæ, lactisve ebutyrati aut hujus ſeri frigidi; omnia ingeſta rancida, corrupta; quibus adhuc multo plura poſſent jungi, titulo cibi ac potus aſſumpta. Porro inter cauſas enumeranda ſunt medicamenta draſtica, acriora, emetica, purgantia, ut Eſula, Cataputia, Helleborus albus, Colocynthis, Vitrum Antimonii, Mercurius ſublimatus corroſivus, præcipitatus albus & ruber, Turpethum minerale, & plura alia, quorum omnium, majore doſi aut minus opportune propinato-

rum, effectus pernicioſi, hypercatharſeos & hypereme-ſeos, conjuncti, *Choleram* omnino conſtituunt. Hujusmodi effectum etiam habent Arſenicum, variaque alia venena. *Choleram*, partes valde agitabiles, & eximiâ virtute ſenſitivâ gaudentes, laceſſendo, irritando, pariunt quoque bilis exundans, corrupta; atra bilis turgens; materies rheumatica, arthritica, ſcorbutica, febrilis, ſudoris, perſpirationis, menſtruorum ſuppreſſorum, exanthematum repulſorum, huc converſa ac hic depoſita. Ultimo ut cauſæ ſe produnt æſtus immodicus, fervidum, imprimis Auguſto menſe, cœlum, ſubitæ aëris mutationes, epidemica conſtitutio, ſpirituum excandeſcentia, ataxia, animi motus turbulenti, præ cæteris iracundia, quæ inter cibandum exorta vehemens aliquando viſa fuit *Choleram* lethalem producere, graviditas, dentitio, dolor, malum hyſtericum, hypochondriacum, viſcerum partiumve vicinorum vel magis remotorum affectiones; quæ omnia morbum hunc producunt, ſive quod humores in motu, directione ac indole, vario modo depravent, hos fundant, & ad inteſtina alliciant ac deponant, dum ſimul hæc debilitantur, laxantur: ſive quod ſyſtema nervoſum totum vel pro parte præternaturaliter afficiant & agitent ſive alio diverſo, & ſæpiſſime nobis plane incognito, modo.

Circa jam recenſitas, naturâ ac indole admodum diverſas, cauſas animadvertendum eſt, quod earum variæ *Choleram* producentes cauſæ fiant, aut potentiam majorem minoremve nocentem acquirant, ex præeunte, concomitante aut accedente aliâ quavis re naturali ſive præternaturali & morboſâ, quæ has, ſive quia his analogâ naturâ prædita ſit, ſive alio quocunque modo, reapſe activas reddit, vel adjuvat, vel efficaciores facit: quo maxime pertinent irritabilitas, temperies, vitæ genus, idioSyncraſia, morbo huic producendo magis favens diatheſis ac conſtitutio, variæ morboſæ affectiones, ſive topicæ, ſive latius per corporis compagem diffuſæ: dum aliæ

illa-

illarum cauſarum tantâ inſitâ, ac humanæ œconomiæ inimicâ vi ſunt præditæ, ut ex ſe ſolis ſufficiant, corpori viventi applicatæ, omni tempore, & in omnibus, indiſcriminatim, hominibus, etſi ſaniſſimis, ſine aliquo alio adveniente juvamine, ſtatim hunc generare morbum.

§. X.

Si ullus præſens morbus facile cognoſcatur, certe hic, de quo agimus. Vomitus & Alvi Fluxus, ſimul affligentes & pariter *Choleram Morbum* conſtituentes, tam manifeſta & unicuique obvia ſunt phænomena & ſymptomata, ut vel ſummus in Arte Medicâ idiota ex his illum agnoſcat. Medica attamen in plurimis exigitur caſibus induſtria ad detegendum quanam ex cauſâ excitatur & ad quam pertinet ſpeciem. Si ingluviem, immodicam ingurgitationem ciborum potuumve, cujusvis indolis, vel aſſumptum venenum aut aliud quid, quovis titulo donatum, humanæ naturæ inimicum, ſtatim vel paulo poſt ſequatur, confeſtim, æque manifeſte ac morbus ipſe, ſe prodit cauſa hujus. Ubi vero *Cholera* excitata eſt ex copioſâ, acri, corruptâve bile; ſeu redundante aliâ pravâ materie, ſive hæc in ventriculo inteſtinisque nata, ſive aliunde ex corpore huc depoſita ſit; qualemcunque multiplicem ſupra, §. IX. memoravimus; ſeu ex aliâ quavis in corpore degente morboſâ conſtitutione, ſive topicâ ſive magis univerſali; ſive proxime, ſive remotius viscera, veram ſedem noſtri morbi conſtituentia, afficiente; hoc cognoſcimus ac colligimus ex propriis ſignis, quæ prædicta docent in ægroto inveniri; & ex ſedulâ obſervatione ac perſcrutatione, ut & ritâ comparatione omnium phænomenorum ac ſymptomatum, tam quæ morbum præceſſerunt, quam quæ illi adſunt, detegimus illud præternaturale ac ſingulare nocens in corpore, quod jam, ut cauſa, morbum hunc generat. Cognito nunc unde &

quali ex cauſâ *Cholera* excitata ſit, ſtatim patet ad quam debeat redigi ſpeciem, & quomodo cognominari, *Idiopathica*, *Sympathica*, *Symptomatica* vel *Critica*.

§. XI.

Dum nulla homini eſt ætas, in quâ ventriculus ac inteſtina ejus non poſſunt ſpasmodicis & convulſivis affici motibus; dum, ut ſupra, §. IX. vidimus, cauſæ, quæ hos violentos atque actiones viscerum perturbantes motus queunt producere, diverſiſſimæ & pene innumeræ ſunt, ac plures earum in omnibus indiſcriminatim hominibus atque ætatibus poſſunt locum obtinere vel applicari, ſemperque ſuam nocentem potentiam exſerunt, patet omnes homines, cujuscunque ætatis, *Cholerâ morbo* poſſe corripi. Attamen quidam huic magis ſunt obnoxii quam alii, ob conſtitutionem ac diatheſin quandam peculiarem generationi ejus plus faventem: ſive quod illorum inteſtina ac ventriculus juſto citius levioribusve ex cauſis male afficiantur; quo præcipue ſpectat nimia horum viscerum irritabilitas, quâ ad leviorum irritamentorum ac ſtimulorum contactum convelluntur & in perturbatos rediguntur motus: ſive quod illi naturaliter vel præternaturaliter & morboſe materiem generant, alunt vel fovent, quæ vel ſola ſat ſufficiens evadit ut hunc producat morbum, vel ſaltem ita prædiſponit ac talem ad hoc malum proclivitatem inducit, ut, quamprimum huic proëgumenæ aliqua analoga vel juvans accedat procatarctica cauſa, ſtatim noſter excitetur morbus. Præ cæteris ergo huic morbo ſunt obnoxii, qui vitio irritabilitatis laborant, nervoſi ſyſtematis agitabilitatem & viscerum juſto majorem mobilitatem poſſident; quare & pluries juniores, in quibus dicta mobilitas ſæpius reperitur, atque infantes, ex dentitione & crapulâ, invadit: porro qui copioſam atque acrem conficiunt bilem; ſaburram acrem in primis fovent viis; ſuc-

cos

cos vitales, & inde illos, qui ab his ſecreti in inteſtina deponuntur, acrimoniâ contaminatos habent.

§. XII.

Aeque ac *Cholera* omnes, cujusvis ætatis, homines arripit, ita & quocunque, indiscriminatim, anni tempore invadit. Plura, quæ illam generare atque excitare posſunt, ſemper præſto ſunt, ac nunquam non hoc morbo laborantes inveniuntur. Uti ingluvies, immodica ingurgitatio, crapula, medicamentorum draſticorum, deleteriorum, emeticorum, catharticorum intempeſtivus uſus, ſpirituum excandescentia, nervoſi ſyſtematis turbulenta agitatio, & quamplurimæ aliæ, §. IX. recenſitæ, cauſæ, nulli peculiari anni tempori ſunt affixi, ita & horum effectus, quorum unus ac præcipuus ſæpiſſime eſt *Cholera*. Certiſſima tamen obſervatio docet hunc morbum, ſtatis tempeſtatibus, familiariorem frequentioremque eſſe. Cujus certiſſime ratio eſt, quod univerſalioribus quædam, dictis tempeſtatibus peculiares, cauſæ accedant. Aeſtate ac autumno, inprimis menſe Auguſto, qui in hoc morbo producendo reliquis antecellit, plurimæ inveniuntur *Choleræ*. Aeſtivâ & fervidiore exiſtente tempeſtate horæi fructus, ſæpe magnâ copiâ, crudi ingeruntur, qui loco calido & humido excepti brevi fermentescunt, materiem elaſticam, ventriculum & inteſtina diſtendentem, generant, & cruditates ac ſtimulantes acritates in primis viis pariunt. Aeſtu diuturniore vel & majore bilis, ex propriâ naturâ facile corruptibilis, valde acris fit & turgeſcit; inteſtina laxantur minusque reſiſtentia evadunt, atque humores, calore depravati, facilius ad hæc deponuntur; & ſi calori magno humiditas, ut æſtate declinante non infrequens eſt, adjuncta ſit, eo pejus eſt. Menſe Auguſto, ſecundum quosdam Auctores Medicos, aliquando in aëre generatur quædam malignitas, quæ periculoſiſſimam & bre-

brevi necantem *Choleram* infert: & *Sydenhamus* inter epidemicos autumnales morbos recenſet *Choleram*.

§. XIII.

Enormia *Choleram morbum* ſæpiſſime concomitantia ſymptomata, ac ejus, non raro, brevi tempore, exitus funeſtus docent illum, ſaltem in genere, merito periculoſiſſimorum atque acutiſſimorum morborum numero eſſe adſcribendum. Eo magis, quia aliquando, dum omnia in tuto conjiciuntur, ſymptomata redeunt & mors ſequitur ſubitiſſima. Nullus, niſi forte peſtem & peſtilentiales febres excipiamus, eſt brevioris exitus, tamque cito homines jugulat, morbus, quam *Cholera*, cumprimis ſi vel infantes, vel ſenes, quibus rarior eſt, vel enervatos aut morbo debilitatos invaſerit. *Cholera* aliquando eſt epidemica, & valde maligna ac lethalis. Adeo atrox eſt, teſte *Sydenhamo*, quæ venit â calidiori tempeſtate *Cholera*, ut robuſtiſſima corpora intra unam horulam ſolvat, atque â nimiâ κενεαγγέια convulſivam mortem inducat. Interdum, quod & vulgarius eſt, viginti quatuor horis, aliquando die ſecundo, tertio, quarto, & ad ſummum, ſed rarius, ſeptimo finitur, nec unquam diutius protrahitur, niſi in alium tranſeat morbum. In genere *Cholera* periculoſior eſt communi vomitu ac diarrhœâ; & prædictio in hac, ut in acutis, incerta eſt. Quæ ex aſſumptorum vitio ortum trahit minus periculoſa eſt, quam quæ ſine manifeſtâ cauſâ oritur. Quo excreta magis â ſtatu naturali recedunt eo periculoſior morbus. Si cauſtica, viridis, livida, aut loturæ carnis ſimilis materies, ſupra infraque, magno impetu, erumpat; acuti dolores & torſiones incidant; æſtus ac ſitis intenſior vexet; facies flaveſcat, palleſcet; pulſus parvus ſit ac conciſus, in magno ægrotus verſatur periculo. Si bilis atra, ſanguineque atro permixta, dejiciatur, præſagit inevitabile exitium. Non minus

nus

nus mortem, & hanc brevi ſecuturam, indicunt animi deliquia, ſingultus, pulſus debilis vacillans, intermittens; convulſiones; extremorum frigus; ſudores gelidi; oculi excavati; facies cadaveroſa; urinæ ſuppreſſio & vocis defectus. Nec boni quidpiam expectare licet, ſi excretiones, dum diatheſis ad eas maneat, animi deliquiis ſupprimantur, aut illis compreſſis reliqua perſiſtant ſymptomata. Verum ſalutis affulget ſpes, ſi conquieſcat vomitus, cum inſequente ſomno & levamine; flatuum per inferiora ſequantur eruptiones; pulſus manifeſtior fiat, & faciei color cadaveroſus in meliorem reſtituatur; ſique ultra ſeptimum morbus protrahatur diem.

Supra monuimus quod non omni *Choleræ*, nullo diſcrimine, eadem ſit adſcribenda malignitas. Hic, ut in omni morbo, periculum increſcit pro ratione intenſitatis ac gravitatis concomitantium ſymptomatum; quæ, iterum, majora minorave ſunt pro indole diverſâ cauſæ ex quâ oritur, ac variâ conſtitutione ægri, in quo excitatur malum. Et ita, diverſitate cauſarum (vide §. IX.) ut & conſtitutionis ægrotantium conſideratâ, liquet, experientiâ etiam hoc confirmante, quod *Cholera*, toto cœlo, â *Cholerâ*, malignitate periculoque differre poſſit. Sicut pluries valde enormis, periculoſa, atque exitialis, ita aliquando levior invadit *Cholera*, parvo vel & nullo concomitata periculo. Ut quando in homine ſatis forti, & aliter ſano, paulo poſt ingluviem, commiſſosque in diætâ errores, ex materie gravante ſaburrâve in primis viis collectâ, *Cholera* oritur, & vomitu atque alvinis excretionibus neceſſariis ſolis, ſine aliis concurrentibus aut advenientibus ſymptomatibus gravibus, materies nocens, ſupra & infra, expellitur. Hæc, utplurimum, poſt ejectam materiem, ſubito ſedatur, nullâ relictâ noxâ, præterquam quod ægroti corpus, prægreſſo tumultu, defatigatum ac quodammodo perturbatum ſit. Procul â periculoſâ e contra ſalubris eſt talis *Cholera*, atque ſuo ſubjecto optabilis medela.

§. XIV. Par-

§. XIV.

Partium, ſedem Morbi conſtituentium, qui rite conſiderat fabricam, ſitum, uſum; quibus cum partibus hæ nectuntur & proximam habent communionem; earum ſenſilitatem, non quidem in omnibus hominibus eandem, ſed tamen majorem quam plurimarum aliarum corporis partium, & levibus ex cauſis hinc excitandam irritabilitatem; eximium conſenſum cum toto ſyſtemate nervorum; magnum & aſſiduum, ſecundum naturam, ſuccorum in primas vias affluxum ex innumeris, in latâ harum ſuperficie patulis, vaſculis & tubulis; ſecretorum Pancreatis, Hepatis, Veſiculæ fellis exonerationem in inteſtina; late patens ventriculi inteſtinorumque cum toto corpore commercium, quo ex omni parte multivarii humores huc devehi poſſunt; Morbi veram cauſam, convulſivum ac omnimodo turbulentum motum; cauſas excitantes multiplices & diverſas; impeditum liberum transfluxum humorum per convulſas, & majorem impetum & affluxum ad vellicatas & ſtimulatas partes, facile explicare poteſt unde tot & tam enormia, quæ *Choleram* comitantur ſymptomata, proveniunt; unde tanta & ſæpe ſtupenda copia materiæ excretæ, non excrementitiæ omnis, ſed & utilis, ſanæ & vitalis; unde diverſitas illa excretorum in acritate, ſapore, odore, colore, & materiæ bilioſæ diverſus color; unde tam cita debilitas, proſtratio virium, & emaciatio; unde diverſum periculum, & lethalitas aliquando intra paucas horas; quare & quomodo *Cholera* ſymptomatice accedit febribus malignis & leipyriæ, ex materiâ bilioſâ corruptâ copioſiori productæ, quæ, ſecundum Hippocratem, absque ſuperveniente *Cholerâ* non cedit, etſi his morbis non raro bilioſum dumtaxat alvi profluvium jungi ſolet; quomodo ſympathice, cauſâ alibi degente, excitari poteſt; quando & ubi ſalutaris evadit; quare, etſi omnes indiſcriminatim homines hoc

hoc queunt corripi morbo, quidam illi magis obnoxii ſunt; quare æſtivo & fervidiori exiſtente tempeſtate morbus hic potiſſimum infeſtat, & quo calidiores ſunt regiones eo frequentior & gravior occurrit; quare tam frequens eſt ex uſu fructuum horæorum, fermentiscibilium, & quæ facilioris ſunt corruptionis; quomodo crapula tam vinoſa quam cereviſiaria *Choleram* producit: & adhuc plurium, ad hunc morbum reſpicientium, rationem invenire & dare poteſt.

§. XV.

Ordo nunc nos ducit ad loquendum de *Morbi Choleræ* Curatione. Circa quam non inutile eſt præmonere, quod, quamvis periculum non ſemper æque magnum ſit, tamen frequens hujus morbi vehementia ac ſæpe ſubitiſſimus exitialis exitus, non ſolum appropriatam, ſed & cito adhibitam poſtulet medicinam. Turbarum ac ſymptomatum, in pluribus caſibus, vehementia vetat morari. Exigua levisque curandi mora hic ſæpe peſſima. Quare Medicus, præter quod peritus ſit, ne perverſe agat, hic, ſi in ullo morbo, properare debet ut propinetur auxilium, ne, ſuo neglectu, ægrotum ſimul ac occaſionem perdat.

Curationem univerſalem, omni *Choleræ* aptatam, non admittit morbi ſpecierum diverſitas. Non ubique atque in omni ſubjecto ſe produnt eædem indicationes curatoriæ, quibus ſatisfieri debet. Morbi genius, cauſa, ſymptomata concomitantia, ægri conſtitutio ac vires, quæ ultimæ præſertim ſunt attendendæ, varietatem faciunt in indicatione quid & quomodo agendi. Aliquando tres ſe produnt indicationes, quibus, ſucceſſive, uni poſt alteram, eſt ſatisfaciendum: prima, materiæ noxiæ, pec-

cantis eluvio atque ad faciliorem & citiorem exitum diſpoſitio; dum hæc quandoque pariter eſt attemperanda & corrigenda: ſecunda, motuum effrænorum & ſymptomatum ſedatio: tertia, labefactati roboris, viriumque proſtratarum inſtauratio. Aliquando plures dictarum indicationum ſunt conjungendæ atque pariter uno tempore perficiendæ. Nonnunquam prima nullum habet locum: & ſic porro, prout circumſtantiæ, ſub quibus ægrotus eſt, poſtulant.

Ubi materies noxia in primis viis hæret; ſive hæc â foris ingeſta, ſive ibidem nata, ſive aliunde ex corpore illuc allata ſit, & cujus expulſio ad recuperandam ſanitatem neceſſaria eſt; vomitus atque excretiones per inferiora, quibus illa expellitur, nullo modo temere ſtatim, & in principio morbi, ſunt cohibendi; ſed potius, habitâ ratione morbi vehementiæ, materiæ expellendæ indolis, ægrotantis virium, ſymptomatum concomitantium, aut in propriam ſalutem operanti naturæ permittendi; aut convenientibus, ore ſumtis & per anum injectis, diluentibus, evacuantibus, detergentibus, laxantibus, quibus materia inimica ad faciliorem citioremque exitum diſponitur, magis minusve juvandi; aut prudenti combinatione evacuationem promoventium, acrimoniam nocentem temperantium, corrigentium, motus ac turbas effrænes ſedantium, atque corroborantium, temperandi & moderandi; & non, niſi ſummâ urgente neceſſitate, ante ſufficientem noxii excretionem, ſiſtendi, cohibendi. Morboſâ materie ſufficienter excretâ, ſtatim vomitus & alvi fluxus, aut eorum conatus, ſi ſuperſint, compeſci; reliqua, ſi quæ inveniantur, ſymptomata curari; & ultimo, requiſitis corroborantibus atque diætâ aptâ, robur labefactatum, tam viſcerum quam totius corporis, inſtaurari debent, & morbi reverſio præcaveri.

Hinc intelligimus, quod ſi *Cholera* oriatur ab ingeſtis, ſolummodo copiâ, pondere aut inſuperabili tenacitate, ven-

ventriculum atque inteſtina gravantibus ac vim coctricem opprimentibus, procul quod, utplurimum ſalutariter, ortæ excretiones ſtatim cohibeantur, ne hoſtem includamus, hæ potius ſuſtentandæ & juvandæ ſunt, largo & repetito potu, ac ſucceſſivâ injectione per anum, liquoris tenuis, blandi, & detergentis, quo materies rejicienda diluitur, eluitur & ad faciliorem exitum aptatur: cui ſcopo ſufficit aqua tepida ſimplex, vel cum lacte mixta, aqua mulſa, ſerum lactis, decoctum tenue Hordei, Avenæ, jusculum tenue carnis gallinacei aut vitulini, tepide ſumtum, aut alius talis liquor. Si excretio, hoc modo, non ex voto procedat, & ægrotus ſatis fortis ſit, potionibus aut enematibus, ex dictis confectis, addi poſſunt, ut ea magis promoveatur, fortius laxantia & detergentia, ac cathartica Rhabarbarina. Materiâ gravante excretâ vomitus & dejectiones per inferiora utplurimum cito ceſſant, quod ſi tamen non contingat, facile ſedantur dato paregorico, opiato. Poſtea vero ventriculus & inteſtina roborari debent vino generoſo, ſimplici vel aromaticis, ut Cinnamomo aut Mace, impraegnato, aliisve ſtomachicis dictis, ſervatâ ſimul diætâ modicâ.

Item liquet, quod ſi materies acris, irritans, ventriculi atque inteſtinorum internum parietem ſtimulans, vellicans; quo pertinent cacochylia acida, alcalina, rancida, putrida; bilis exundans, acris, corrupta; titulo medicamenti ingeſta acria; materies morboſa in inteſtina converſa ac depoſita; &, uno verbo, ſaburra quævis hic hærens ac acrimoniâ lædens, *Choleram* excitet, primam indicationem curatoriam eſſe nocivi expulſionem, ſaltem in morbi principio, & ubi contraindicans urgens hoc non vetat, prudenter ſuſtentare, juvare, aliquando promovere; prout morbi vehementia, ſymptomata adjuncta, ægroti vires, materiæ indoles jubent.

Ubi tunc morbus in principio & non nimis enormis

eſt viresque ſatis integræ ſunt, convenit expulſionem facilitare aut & leniter promovere diluentibus, fibras viscerum laxantibus, detergentibus, evacuantibus, ore ſumptis ac clyſteribus injectis; dum ſimul, obſervatâ & cognitâ materiæ expellendæ naturâ, cujus varietas utcunque diverſam exigit medendi rationem, & talia propinentur, quæ illam frenant, temperant, corrigunt. Hic ergo conducunt diluentia ſimplicia, blanda, tepide uſurpata, ut aqua ſimplex, hydrogala, decocta tenuia Avenæ, Hordei, quibus admisceri poteſt aliquid Violarum, Portulacæ, Althææ, aut alterius ſimilis Syrupi, jusculum tenue carnis: temperandi & corrigendi gratia, acescentia leniterque acida, ut Serum lactis, Rob & ſuccus Ribeſiorum, Syrupus ac ſuccus Citri, pluraque talia, cum prioribus miſta & valde diluta; ut & pulveres terreſtres abſorbentes, ex lapidibus Cancrorum, Conchis, Terrâ Sigillatâ, Corallis, &c. obvolventia mucilaginoſa: &, ad excretionem, ſupra & infra, magis promovendam, laxantia, blanda oleoſa, ut oleum Amygdalarum dulcium, Olivarum, Butyrum inſulſum, detergentia, Rhabarbarina: & ex hisce recenſitis illa ſunt eligenda &, ſub debitâ formâ, propinanda, quæ in præſenti caſu exiguntur. Circa laxantia, vomitum ac alvi purgationem promoventia, inprimis monendum eſt, quod in eorum uſu Medicus in hoc morbo valde prudens eſſe debeat, &, ubi illa exposcantur, non niſi blande operantia dare. Materiâ morbificâ jam expulſâ, dejectiones aut harum conatus ſiſti, & motus viscerum convulſivi & inordinati, ſi remanſerint, remediis, infra nominandis, compesci debent.

Quando vero morbus vehemens eſt; ſymptomata gravia, ſumma debilitas, convulſiones, ſingultus, animi deliquium urgent, extrema frigent, ut & ſi morbus diu aut per plures horas duraverit, ſtatim cogitandum eſt de turbarum ſedatione atque excretionum moderatione, immi-

nutio-

nutione, aut plenâ cohibitione, idoneo uſu internorum & externorum Medicamentorum. In hunc finem ergo interne exhibenda ſunt, aut una cum diluentium minori doſi, aut, his omiſſis, ſola, corroborantia, cardiaca, antiſpasmodica, paregorica; quo pertinent adſtringentia, aromatica, ſpirituoſa, acida, vina tenuia odorata, aut meraca generoſa, opiata; additis ſimul, quæ acrimoniam peccantem temperant, obvolvunt, corrigunt. Ubi Bilis præſertim peccat, tempeſtas & ægrotantis conſtitutio valde calida eſt, Antiqui, ad ventriculi ac inteſtinorum motus convulſorios compeſcendos, ut ſalubrem commendarunt potum modicum aquæ temperate frigidæ: cujus utilis uſus etiam quorundam recentiorum experientiâ affirmatur. Dum ore aſſumuntur, pariter clysmatum formâ injicienda ſunt turbarum vehementiam compeſcentia, qualia ſupra recenſita ſunt. Internis quoque adjungenda ſunt externa remedia. Abdomini, inprimis ad ventriculi regionem, applicanda ſunt nervina, anodyna, ut Bals. Embryon. Aq. Theriacalis, Linimenta calida, ex Oleis nervinis Abſynthii, Nucis Moſchatæ, Menthæ, Balſamo Peruviano, Caſtoreo, Camphorâ parata; Cataplasmata ex fermento panis, Aceto Rutaceo, & Spiritu Vini: præter quæ, præſertim Veteres, ad impetum â visceribus morboſe affectis avertendum, & horum motus turbulentos ſedandos, ſi priora non ſufficiant, adhuc ſuadent artuum frictiones & ligaturæ, ut & cucurbitulæ ſcapulis, dorſo, lieni, hepati, aut infra umbilicum affixæ, Sinapi impoſitum, & balneum ad cutim trahens. Ubi morbus vehemens ejusque ſymptomata gravia ſunt, & pariter ſanguinis nimia moles, pulſus plenus ac fortis eſt, viresque ſatis integræ ſunt, egregiam habet utilitatem Venæ Sectio, ad præcavendam febrem & mitiganda ſymptomata. Porro in cæteris agendum eſt ut jam diximus. Poſtquam, rite adhibitis auxiliis, motus nimis turbulenti ſopiti, ſymptomata mitigata, dejectio-

 nes

nes enormes cohibitæ, viresque deficientes ſatis reſtitutæ ſunt, materies nociva, ſanitati inimica, ſi quæ relicta fuerit, leni cathartico educi poteſt.

Si *Cholera*, nullâ in primis viis hærente materie, quæ hanc excitat, oriatur â cauſâ alibi in corpore degente & per conſenſum illam producente, aut â ſpirituum excandescentiâ, ſatis liquide patet, quod, ad eam curandam, malum, cujus effectus aut ſymptoma eſt, debeat tolli; itemque, quod excretiones violenter excitatæ, tam cito quam poſſibile, ſisti, atque motus inordinati viscerum, quamprimum compesci debeant. Ubi â partium, plus minusve remotarum, ſed cum ventriculo & inteſtinis communicantium, præternaturalibus morboſisque affectionibus cauſatur, hæ, ut noſtri morbi cauſæ primariæ, bene attendi, &, ad ejus medelam, ſingulæ ſecundum ſuam propriam naturam tractari, curari debent. Si producatur â ſyſtematis nervoſi, totius, aut pro parte, præternaturali affectione, agitatione, aut ſpirituum ataxiâ, ut in animi motibus, malo hyſterico, convulſionibus, dolore, tunc curatio quærenda eſt in quietem conciliantibus, antispasmodicis, antihyſtericis, paregoricis, opiatis, externe & interne, pro exigentiâ, uſurpatis.

Epidemicam quod attinet *Choleram*, in hujus curatione peculiaris genius epidemicæ conſtitutionis, quæ illam producit, eſt attendendus. Sic *Cholera*, quam *Sydenhamus* obſervavit, quæ exeunte æſtate, Anni 1676. epidemice ſæviebat, ac diriſſimis ſymptomatibus concomitata erat, audaces & repetitas doſes anodynorum ad ſuam curationem poſtulabat.

De Diætâ, quæ durante morbo teneri debet, pauca habemus dicenda. Aegrotans ſtudeat ſe, quantum poteſt, quietum tenere. Ubi morbus brevi decurrit, ut pluries fit, æger minime eſt moleſtandus cibis, antequam turbulenti viſcerum motus ſedati ſunt. Si vero malum diutius aut per plures dies durat, præter ſupra memorata

rata juſcula ac decocta, quando vomitiones ſilent, poteſt dari pulticula quædam ſiccior ex Oryzâ, Avenâ, Hordeo, aut hujus farinâ, cum aquâ vel lacte ebutyrato cocta; & ubi magna adeſt debilitas, parum vini generoſi dictæ pulticulæ addere, vel & hoc ſolum, aut pane exceptum propinare, licet.

Ex hiſce, huc usque, dictis, ſatis intelligere poſſumus, ſi quæ *Cholera* ex causâ, hic non ſpeciatim nominatâ, oriatur, quid & quomodo in ægroti ſalutem eſt agendum.

Ordo nunc jubet breviter exponere quomodo & quibus auxiliis ſuccurrendum eſt ſymptomatibus quibusdam gravioribus, atque hæc curari & tolli debent.

Quomodo Debilitati, ex turbarum vehementiâ nimiisque excretionibus ortæ atque his concomitanti, ſuccurrendum eſt, ſupra jam diximus; infra loquemur de curatione illius, quæ, morbo ſuperato, remanſit. Sitis, quæ ſæpius crudeliter vexat, mitigatur diluentibus blandis ſupra memoratis, præſertim ſi illis addantur acidiuscula: ſolum Serum lactis hic ſæpe ſufficit. Si Febris pariter cum *Choleræ* tumultibus adſit, pulſus fortis, atque ægrotus plethoricus ſit, venæ ſectio inſtituatur; de Febre poſt morbum ſedatum ortâ infra dicemus. In Animi Deliquio naribus admovenda ſunt fortiter olentia, Pulegium, Mentha, Aqua Reginæ Hungariæ, Acetum, aut fœtentia, Caſtoreum, Aſa fœtida; & facies conſpergenda eſt aquâ frigidâ: quando ægrotus ad ſe rediit illi dandum eſt, parvâ doſi, vinum tenue odoratum ſolum, vel cum aquâ mixtum, aut pane exceptum. Ubi partes extremæ frigent, & ſudor gelidus erumpit, propinanda ſunt corroborantia, aromatica, cardiaca, qualia ante memoravimus: pedes in aquam calidam ſunt immittendi, & pannis laneis convolvendi. Si Singultus vel alius motus tremulus ac convulſivus accedat, contractura extremorum obtineat, interna conducunt antiſpasmodica, conjuncta cum vires inſtau-

inſtaurantibus ubi nimia inanitio cauſa eſt: externe valent fomenta ac linimenta calida nervina, quibus ſpina dorſi, muſculi convulſi & articuli foveantur.

Superato Morbo, conſopitis motibus inordinatis, ſymptomatibus ſedatis, ultima indicatio curatoria poſtulat partes, ſub hoc morbo, labefactatas corroborare, atque vires totius corporis imminutas, convenientibus medicinis ac diætâ aptâ, inſtaurare. Medicamina huic ſcopo ſatisfacientia ſunt confortantia & adſtringentia, tonum debilitatum reſtituentia; qualia ſunt vina generoſa ſimplicia aut cum aromaticis impraegnata, vina auſtera ſola aut aquâ diluta ſenſim & frigida deglutita; aquæ diſtillatæ, infuſa, decocta, eſſentiæ & elixiria confortantia ſtomachica dicta, ex corroborantibus atque adſtringentibus, ut Cortice Caſcarillæ, Peruviano, Cinnamomi, Radice Gentianæ, Biſtortæ, Tormentillæ, Herbâ Menthæ, Salviæ, Abſynthii, Floribus Roſarum rubrarum, & ſimilibus, facta; quibus addi merentur Chalybeata. Diæta ſalutari ſcopo reſpondens expoſcit victum facilem, cibos ac potus bene quidem nutrientes, ſed pariter â debilibus viſceribus, levi opere, digerendos, dum ſollicite caveantur quæ facile corrumpuntur. Inter ciborum genera optima ſunt juſcula, in principio tenuiora, ex carnibus vitulinis, gallinaceis, Radicibus Cichorei, Petroſelini, Aſparago, Chærefolio, Cancris contuſis, cum modicâ quantitate ſucci Citri, parata. Porro ægrotans ſe ſollicite cavere debet ab omnibus animi motibus validis. Motus corporis ſit temperatus, non defatigans. Somnus, ſi non ſponte ſufficiens fiat, dato anodyno eſt promovendus. Sic agendo optabilis redibit ſanitas ac morbi præcavebitur recidiva. Si attamen æger infeliciter recidivam patiatur, utiliter ſæpe Venæ Sectio inſtituitur; in cæteris agendum eſt ut ſupra monuimus. Si Febris, poſt finitam *Choleram*, invadat, alvus eſt ſolvenda, vel Vomitorium exhibendum, vel & quandoque vena ſecan-

canda ; prout morbi cauſa ac ægroti ſtatus indicant.

§. XVI.

Primâ, quam *Humidam* vocavimus, ſpecie abſolutâ, ſequitur altera, *Cholera Sicca* vel *Arida* dicta.

Hic, ut graviſſimi teſtantur Practici, morbus eſt valde rarus. Inter hos unus ſufficiat *Sydenhamus* dicens ſe, usquedum hoc ſcribebat, unicum dumtaxat ejus exemplum vidiſſe.

§. XVII.

Cholera Sicca dicitur in quâ perpetua eſt ſpiritus flatuoſi, ſupra & infra, cum violentiâ, eruptio, ſine vomitu vel ſeceſſu. *In Cholera ſiccâ*, dicit Hippocrates, *venter inflatur, & ſtrepitus inſunt, & laterum ac lumborum dolor adeſt, nihilque infra dejicit alvus ſed adſtringitur.*

§. XVIII.

In *Siccâ* æque ac in *Humidâ Cholerâ* inordinata & turbulenta agitatio eſt Ventriculi & Inteſtinorum, quæ materiem flatulentam, intus in illorum cavo hærentem, dicto modo, expellit.

§. XIX.

Materialem, hunc producentem morbum, cauſam conſtituunt Aër, aut huic ſimiles Spiritus flatuoſi elaſtici, in cavo primarum viarum contenti; qui aut a foris, deglutitione, huc invecti ſunt, aut hic intus ex ingeſtis vel

indigenis, effervescentiâ, fermentatione, putredine, calore, motu inordinato, evolvuntur, generantur. Hi vero, rarefactione & expanſione, ventriculum & inteſtina violenter diſtendunt, vel & ſimul, elevatis vaporibus acribus, vellicant & mordicant; unde, præter magnam anxietatem, in his, levi ex ſtimulo ſæpe, agitabilibus atque irritabilibus partibus, ita laceſſitis, neceſſario ſpasmodici & inordinati motus excitari debent. Hinc ergo materiæ elaſticæ, ſupra & infra; dum via libera eſt, eructatio.

§. XX.

In *Cholerâ Siccâ* ſollicite vitanda ſunt omnia vomitoria ac purgantia ore aſſumta. Ad illius ſanationem requiruntur carminantia, nervina, corroborantia, anodyna, opiata ore aſſumta, dum alvus clyſtere emolliente ac carminativo ſubducitur. *Ita* [Cholerâ Siccâ] *adfectus*, verba ſunt HIPPOCRATIS, *ne vomat videto, verum ut alvus ſubducatur Clyſtere calido & pingui, dein in calidam demitti debet. Et ſi, cum calefactus fuerit, alvus ſubducatur morbus ſolutus eſt. Huic etiam dormire confert, & vinum tenue vetus ac meracius bibere.* Ex voto, aliquando, ſucceſſit curatio uſu Acido-auſterorum cum adjunctis anodynis; ut Hauſtu Succi Citri cum Sale quodam Alcalino, vel terreſtri medicamento abſorbente, ſaturati, addito Narcotico; & alvi laxatione, poſt hujus aſſumtionem, Enemate.

Morbo ſuperato & motu turbulento ſedato, Ventriculus & Inteſtina debent roborari convenientibus medicamentis, qualia plura in curatione primæ ſpeciei *Choleræ*, §. XV. indicata ſunt. Huic ſcopo ſola infuſio Menthæ criſpæ quandoque ſatisfacit.

F I N I S.